

1535 quod Neapolitani haecenus Imperatoris praesentia caruissent. Huc quoque accesserat, quod eodem tempore Margaretae, nothae Caroli filiae, cum Alexandro Mediceo, Florentiae Duce, nuptiae celebrarentur; cum, extorrum Florentinorum civium, ac praecipue Rodulphi Cardinalis pollicitis rejectis, id Clementis manibus Caesar praestaret, quod olim Barchinone connubium filiae, nepotisque pepigerat. Neapolim multi Reguli, ac Principum oratores, ut partum ex Caesaris victoria gaudium testarentur, confluxere. Veneti quatuor legatos misere, Marcum Foscarum, Joannem Delphinum, Vincentium Grimanum, Thomam Contarenum: hi Senatus nomine prosperos successus, Africae urbes, atque oppida capta gratulati sunt; idque eo accuratius fecere, quod multa vel ab otiosis, vel a malevolis hominibus in vulgus spargerentur: nimia potentiae Caesaris incrementa suspecta Patribus esse, fortunaque illius, ac felicitate, tanquam ceteris formidolosa, subtristi quadam cogitatione defixis animis haerere: quae Senatui admodum molesta erant, ut Caesarem, quo cum nuper foedus percusserat, his vocibus commoveri posse vereretur. Cur enim illius potentiae inviderent, quem aequare Suleimani potentissimi Principis vires, christianae reipublicae ac Venetis conducere? quorum insulae ac regna prope in imperii Ottomanici faucibus essent? Aut quid in Africam, longe a Venetis ditioribus remotam regionem, victricibus Caesaris vexillis illatis, damni illorum rebus accidere poterat? cum praesertim in iis locis piratae, qui totum Mediterraneum, atque Adriaticum mare praedabundi excurrerent, maritimaque commercia interciperent, exitus inde, atque receptus tutos haberent. His, si qua in nonnullorum animis suspicio orta foret, diluere, ac discutere Senatus conabatur.

Verum dum felici Africanæ expeditionis eventu fracta Chariadeni superbia, contusæ Turcarum maritimæ vires, ad majora multo aditum patefacere viderentur; recens dissensionum, ac bellorum seges oborta, multis malis laborantem rempublicam christianam vexavit, atque afflixit. Nam Franciscus Sfortia, cujus sobole spes Italicae pacis diu conservandæ, veluti firmamento, nitebatur, oculorum morbo, mox febris correptus, utpote qui imbecillo admodum corpore esset, diutinaque vi morbi

Margareta
Caroli filia
cum Alex-
andro Me-
diceo nu-
ptia.

Veneti lega-
ti ad Cas-
arem.